MONOCHORDI NETARUM YPERBOLEON PER TRIA GENERA PARTITIO.

Nunc igitur diatonici generis descriptio facta est in eo scilicet modo qui est simplicior
et princeps quem lidium nuncupamus. De quibus modis nunc differendum non est.
Ut vero per tria genera currat mixta descriptio et in omnibus propria numerorum pluralitas
apponatur. Ad conservandas scilicet proportiones et tonorum atque diesium excogitatus est numerus
qui haec omnia possit explere, ut maximus quidem ad proslambanomenon describatur, qui sit
VIIII CCXVI, minimus vero II CCCIIII. Reliquorum vero sonorum proportiones in horum medietate
texentur. Sane ab inferiore procedimus omniumque nomina chordarum non solum nominibus verum etiam
appositis litteris demonstramus. Sed et quoniam trium generum est facienda partitio nervorumque
modus litterarum numerum excedit, ubi defecerint litterae, easdem rursus geminamus hoc modo
ut quando ad Z fuerit usque perventum, ita describimus reliquos nervos bis A id est AA et bis B
id est BB et bis C id est CC. Sit igitur primus quidem numerus maximusque qui proslambanomenos
obtineat locum VIIII CCXVI. Sitque totius chordae modus ab eo quod est A usque ad id quod est LL.
Hanc idem A proslambanomenos VIIII CCXVI. Divido dimidiam ad O ut sit tota A dupla ab eaque est
O. Item O sit dupla ab ea quae est LL. Erit igitur A quidem proslambanomenos, O autem mese,
LL nete hirpboleon. Habebit igitur A quidem VIIII CCXVI, O vero horum dimidium id est IIII DCVIII,
ut mese ad proslambanomenon diapason consonantia conveniat. Ea vero quae est LL dimidium meses ut sit
proslambanomenos ab ea quae est nete hirpboleon quadrupla et bis diapason ad eam consonet
simphoniam. Sitque LL II CCCIIII.